



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt XI. Variam maloru[m] spirituum appellationem, satis insinuare
quàm abhorrendum sit ab ea quæ sub illis agatur seruitute.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

90 DE CHRISTIANA LIBERTATE
lixius neque est operæpretium, & est fanaticum hoc
illorum commentum, iis quæ suprâ explicata sunt, fa-
tis superque confutatum.

CAPVT XI.

*Variam malorū spirituum appellationem, satis insinuare quàm
abhorrendum sit ab ea quæ sub illis agatur seruitute.*

IPSA quidem maligni spiritus varia appellatio satis
admonet quid in eorum dominatione formidare
debeamus: siue cū Satan, siue cū Diabolus, siue
etiam cū Dæmon appellatur. Satan enim Hæbræis
idem est quod hostis, inimicus, aduersarius. Vnde libri
primi Regum capite sexto legitur: Et non est Satan, id
est, aduersarius siue occurfus hostilis. Et capite vigesi-
mo nono, Duces Achis de Dauide loquuntur: Reuer-
tatur ad locum suum, ne sit nobis in prælio Lessatan,
id est, aduersarius. Petrus quoque quoniam salutari
nobis Christi proposito aduersabatur, audit ab eo: Va-
de retro me Satana. Satan ergo per antonomasiam
malus spiritus dicitur, vt expectetur ab eo nihil nisi
quod sit hostile, & animæ saluti contrarium atque ini-
micum; etiam si temporaliter prodesse se velle simulet,
eò vsque etiam vt assumpta corporis similitudine in-
ter homines oberret, seruiatque ad tēpus seruitutem,
sordida obeundo munia, verrendo domum, expur-
gando stabula, ligna, aquam comportando: quem ad-
modū refert Olaus Magnus in Septentrionalibus re-
gionibus euenire. Diabolus autē dicitur Græca voce:
apud quos *διabόλο* significat insidiosè capio, fallo,
implico verbis: quo sensu artes illius fraudesque mul-
tiplices intelligi possunt. Sic diabolus ac sycophan-
tam se præstitit cū diceret: Non moriemini, sed eri-
tis similes diis, scientes bonum & malum. Vnde à
Christo dicitur pater mendacij, quòd, vt fallat, falsa
excogitet. Tametsi alij passim diabolū, criminatorem
& ca.

& calumniatorem aut delatorem & accusatorem interpretentur. Dæmon vox media est, & quæ vtramque in partem capi potest, bonisque & malis communiter tribui. Dæmones enim dicuntur sapientes siue sagaces. vnde Aristotelem *δαίμονιον* dixit antiquitas. Sacra tamen literæ nomen hoc in malam partem accipiunt haud minùs quàm Satanæ & Diaboli. vt intelligeremus in aduersariis hisce nostris tria inesse propter quæ omni studio cauendi sint: voluntatem inimicam, fallendi perdendique studium, atque ad dolos excogitandos industriã singularem; cum qua & velocitas visq. summa coniuncta est. Quò pertinet quod D. Hieronymus scribit tradere Hebræos, quomodo in Euangelio princeps dæmonum dicitur esse Beelzebub, hoc est, dominus muscarum; ita Reseph dæmonis esse nomen, qui principatum teneat inter alios, & propter nimiam velocitatem atque in diuersa discursum, auis & volatile nuncupetur: ipsumque esse qui in Paradiso sub figura serpentis mulieri sit locutus: & ex maledictione qua à Deo condemnatus est, accepisse nomen. Siquidem Reseph, reptans ventre interpretatur. Leuiatam autem & Behemot, quæ nomina sunt robustissimarum beluarum, admirabilem illius potentiam ac vires insinuant. Draco verò & Leo, cum viribus, etiam malitiam insidiasque coniungunt. Et his quidem de interpretatione ipsa nominum breuiter adiungendis, quòd ad rerum tractatarum intelligentiam conducerent, secundi huius Libri ita finem faciendum esse putauimus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

DE

Notetur locus.

1. Mach. c. 1.

Factum est hoc

in insidiis sanctificationis, &

in diabolo malo

in Israël.

Item Ioan. 6.

Vnus ex vobis

diabolus est.

In cap. 3.

Abacuc.